UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

CIV. An Sacramentum Vnctionis etiam aliunde doceatur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

AD V. *Oratio fidei* dicitur hîc non fides Miniſtri; ſed *Verbum Sacramentale*, quod S. Aug. vocat *Verbum fidei*: Et hoc includit materiam Vnctionis, non excludit, vt Sectarii volunt: itaque ſimul vtrumq; operatur. Et in aliis Sacramentis ſæpè tribuitur effectus alteri partium; Vt Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum.*

AD VI. Innocentius I. præceſſit Felicem plus centum annis: & hic nec gry de Extr. Vnctione: Ille *ep. 1. c. 8.* dicit eſſe Sacrament. teſte S. Iacobo: non inſtituit.

QVÆSTIO CV.

An Sacramentum Vnctionis etiam aliunde doceatur?

LVTHERANI & CALVINIANI doceri alicunde vſquam poſſe negant.

SVADENT id iſtis. 1. Lutherus. *Vnctio non habet effectum infallibilem: quòd pauciſſimi ſanantur.* 2. Caluinus. *Si Sacramentum colligitur ex eo, quod inungebant oleo & ſanabant: debet etiā colligi ex eo quòd luto ſputo, aquâ Siloë ſanauit Dominus.* 3. Kemn. *Vnctio ea originem ducit ab hæreticis & ethnicis. Nam Valentiniani, teſte Irenæo l. 1. c. 18. vngebant per modum Sacramenti, ſine dono curationis. Ethnici, teſte Virgilio, corpuſq; lauant frigentis*, id eſt mortui, *& vngunt. Vnde Apuleius l. 9. de aſino aureo id vocat vltimum lauacrum. Similia Dionyſ. c. 7. de Eccl. hierarch.* 4. Kemnit. *Primum Apoſtoli ſanabant oleo vulgari: dein alii benedicto, vt plures Sancti, Martinus, &c. Tandem cum ceſſaſſent miracula; ne otioſa maneret ceremonia, Felix IV. voluit vngi infirmos.*

RATIO. S. Vnctionem inde à Chriſto autore Sacramentum fuiſſe teſtatur Vſus tam certus, vt circa eum nulla quęſtio facta legatur, niſi anno 402. Egubino Epiſcopo percunctante ex Innocentio I. an Epiſcopus dare Extremam Vnctionē poſſit; an ſolus Sacerdos? Et Magdeburg. ex hoc probant coſuetudinem vngendi ægros illo ſæculo. In Conc. Niceno diſtinguitur oleum infirmorum ab oleo Chriſmatis, & Catechumenorum.

RATIO ſuadet eſſe Sacramentum, in *Conc. Trid. Seſſ. 14.* Dei prouidentia conſuluit ingreſſui hominum in Eccleſiam; & progreſſui in ea; & defuiſſet egreſſui, in quo ſumma ſalutis vertitur.

DICO AD I. Concilia & Theologi conſentiunt, ſanitatem corporalem promitti conditionaliter: Si ſaluti animæ expedierit. AD II. De luto, ſputo &c. mediis aliis miraculoſarum ſanationū non extat præceptum, vt ea vſurpemus: nec promiſſio gratię: nec certus Miniſter deſignatus.

AD III. Hæretici vngebāt mortuos, non morituros, *Epiph. hær. 37.* Item aquâ & oleo perfundebant eos loco baptiſmi. Item vtebantur horribilibus verbis hebraicis. Ethnici verò mortuos & lauabāt, & vngebant; vt perinde baptiſmus per id impugnari poſſit, ac extr. Vnctio. Nec vnctionem Chriſtiani ab ethnicis, ſed hi eam ab Hebræis ſumſerunt. Hinc laudatur Magdalena, quod Matt. 26. *Ad ſepeliendum me fecit*; Ioan. 19. *Sicut mos eſt Iudæis ſepelire.*

AD IV. Dicit de vſu ſimplicis olei non docet idque contra Clement *Conſt. l. 8. c. 35.* Baſilium, qui olei benedictionē refert ad Traditionem Apoſtolicam. Itemque Beda in *Iac. 5.* Cætera ſimiliter fingit Kemnitius.

QVÆSTIO CVI.

An Ordinatio *ſit vere & propriè Sacramentum?*

LVTHERVS, *lib. de Capt. Babyl.* Illyricus *in Conf. Antuerp. c. 11.* Kemnit. *p. 2. Exam. pag. 1162.* Negant.

Cal-